Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25974
Copyright: Admont, Benediktinerstift

electos ex gentibus ostendit. Qui ipsi centurio milites stipati virtutum spiritualium alii sunt perfectione sublimes, in sola eterne salutis gaudia sibi suisque requirunt. Numerus enim centenarius qui de leva transfertur ad dexteram, celestem significat vitam. Unde archa Noe centum annis fabricata est. Abraham centenarius filium accepit promissionis. Ysaac sevit in ipso anno centuplum invenit. Atrium tabernaculi centum cubitis longum fuit. Unde in psalmo: Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine.

Et cum venisset Ihesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem in febri citatem. Et tetigit manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis. Natura hominum est, ut post febres debiles sint. Verum sanitas a domino collata fortitudinem dedit ministrandi socrui Petri. Lucas: Et rogaverunt illum pro ea. Modo salvator rogatus, modo ultro curat egrotos, ostendens se contra peccatorum passiones et precibus annuere fidelium, et ea que minime intelligunt in se dimittere. Unde psalmista ait: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. A febribus curata femina moraliter carnem a concupiscentie fervore per continentie precepta frenatam significat, ut membra que ministra erant inmundicie serviant iusticie. Allegorice domus Petri circumcisio est apostolatu commissa. Socrum est sinagoga que quodammodo mater est ecclesie Petro commisse. Hec febricitat, quia invidie estibus laborat persequens ecclesiam. Cuius manum dominus tangit, quando carnalia eius opera in spiritualem usum convertit, et ita erecta ministrat in spiritu.

Rab.

Et factum est deinceps ibat in civitatem que vocatur Naim, et ibant cum illo discipuli eius et turba copiosa cum illo. Cum autem appropinquaret porte civitatis, ecce de[...] functus efferebatur filius unicus [...] matris sue, et hec vidua erat, et [...] turba civitatis multa cum [...] illa. Naim civitas est Galilee [...]. Defunctus qui coram multis in[...]tra portam effertur significat criminaliter peccantem et multorum noticie perversa opera quasi per hostia sue civitatis peccatum propalantem. Qui bene unicus matris sue perhibetur, quia licet mater ecclesie multos filios bonos et malos, prima tamen persona mali accipiunt quod tamen ad malitiam pertinet, quemadmodum in bona una persona accipiunt per bonitatem in electus quilibet

Mater ecclesia est universitas credentium. Singuli vero credentes ecclesie filius.